

Reipublica salubrius: sicut Psalm. 133. dicitur: Ecce quam bonum, & quam iucundum, conuenire fratres in vnum. Item, cultum gratitudinis Deo tribuendum pro incolumitatis, hospitij, aliisque beneficiis.

Partes capituli duæ.

Vna, congressus & reconciliatio fratrum, vsque ad vers. 17.

Alter, Reditus Iacobi in terram promissam.

Vtramque pro more subdividimus in sua membra.

In prima est, 1. Prudentia, fortitudo & reuerentia Iacobi in congressu cum fratre, vers. 1. 2. 3.

2. Complexus mutuus fratrum, vers. 4.

3. Colloquium fratrum de vxoribus, liberis, donis, & deductione Iacobi, vsque ad vers. 16. & hic speciatim:

1. Reuerentia vxorum & liberorum in salutando Esauo, vers. 5. 6. 7.

2. Presentatio munerum, vers. 8.

3. Esauo $\alpha\upsilon\tau\alpha\rho\rho\epsilon\iota\alpha$, vers. 9.

4. Instantia Iacobi ne respuat munera, vers. 10. 11.

5. Officium deductionis Iacobo bis delatum: sed ab eo bis modeste ac prudenter recusatum, vers. 12. 13. 14. 15.

6. Discessus fratrum, vers. 16.

In secunda parte est, 1. Habitatio Iacobi in Succhoth, vers. 17.

2. Migratio in Sichem, vers. 18.

3. Emptio agri, vers. 19.

4. Altare Deo exstructum, vers. 20.

PRIOR PARS CAPITIS.

Congressus & reconciliatio fratrum.

1 Porro eleuatis Iacob oculis suis vidit, & ecce Esau venit, cum eoque quadringenti viri: & diuisit liberos cum Leah, & cum Rachel, & cum duabus ancillis.

2 Posuitque ancillas & liberos earum primo loco: deinde Leah cum liberis suis, Rachel autem & Ioseph postremos.

3 Ipse vero transiit ante eos: & incuruauit se septem vicibus, donec accederet ad fratrem.

4 Accurrit autem Esau in occursum eius: amplexatus est, ceciditque super collum eius, & fleuerunt.

5 Eleuatisque oculis vidit vxores & liberos, ac dixit: Qui sunt isti? suntne tui? Et respondit: Liberi sunt, quos donauit Deus seruo tuo.

6 Accesserunt itaque ancilla ipse, & liberi earum & incuruauerunt se.

7 Et accessit etiam Leah cum liberis suis, & incuruauerunt se. Postremo accessit Ioseph & Rachel, & incuruauerunt se.

8 Et dixit Esau: Quorsum tibi tota turba illa, quam obuiam habui? Et respondit: Vt inueniam gratiam in oculis Domini mei.

9 Et respondit Esau: Est mihi multum, frater mi: sit tibi, quod tuum est.

10 Iacob vero dixit: Ne quæsa respuas: Si nunc inueni gratiam in oculis tuis: accipe munus meum è manu mea: nam iccirco vidi faciem, ac si viderem faciem Angeli: & places mihi.

11 Accipe queso benedictionem meam, quæ allata est tibi: quoniam donauit mihi Deus: suntque mihi omnia. Coegit itaque eum, vt acciperet.

12 Et dixit Esau: Proficiscamur, & pergamus, & pergam ante te.

103 Dixit